

496. II, 6-33 — Apologia do embaixador de França sobre a sua oração, feita no Concílio Tridentino. Trento, 1563, Setembro, 23. — *Papel. 4 folhas. Bom estado. Cópia junta.*

*Apologia Renaldi Ferrerij oratoris regis christianissimi in eos qui calumniantur orationem habitam ab eo in congregatione generali contra patribus xxiij die Septenbris M. D. Lxiiij*

Nom possunt patres (bona eorum venia) id vobis respondere quod Malachias judeis petimus enim ordinis ecclesiastici non germanici italici et hispani tantum sed etiam et in primis galici in quo ingenue fatemur nostram deformitatem quam cum judei non agnoscerent in se fuit merito illis imputata fletus et jejuniij causa. Petimus inquam nunc eam a vobis reformationem quam maiores nostri ante ducentos annos a pontifice romano et synodis generalibus petierunt et quae illis semper promissa est et nunquam dictum id quod judeis Malachias respondit.

Quodsi deformitatis ecclesiasticae causam regibus nostris tantum ascripseritis etiam atque etiam videte ne id dicere videamini quod Adam mulier quam mihi dedisti sociam dedit mihi de ligno et comedi. Fatemur rreges qui indignos episcopos presentant gravissime peccare sed longe gravius peccant pontifices qui eam presentationem ratam habent.

*Cum* diximus nos reformationem tantum non etiam dogmata petisse non condiximus ut religionis catholica precipua capita et de quibus est hodie tanta controversia perpetuo incerta esse debeant verum cum in illis sit inter catholicos homines consensus existimavimus a corruptis moribus (qui sunt omnium haeresum fons et origo) esse incipiendum.

Diximus articulis reformationis propositis nec confirmari catholicos nec haereticos conciliari quoniam eo medicamento non curatur presens

morbus cum nihil statuatur de emendandis moribus (*I v.*) eorum qui nunc sunt ecclesiae ministri. Quid enim dicitur (ut reliqua omittamus) de episcopis (quorum est hodie magnus numerus) qui literas sacras nunquam didicerunt omnia fieri rejiciuntur in diem crastinam cum uniuscujusque diei sua malitia deberet sufficere. *Nec* petinet dixisse nulla esse in his articulis quae cum concilijs patrum et antiquorum episcoporum promotione condemnatione pugnant ut de judicio beneficiorum pluralitate penssionibus resignatione in favorem (quae satis intelligitur etsi mentio expressa non fiat) regressibus et alijs beneficiorum provisionibus prorsus incognitis antiquis patribus et eorum decretis contrarijs. Quid etiam de Annatis et alijs quae vocant minuta servitia statuatur? Quae omnino non antiquissimis sed superioris temporis pontificum constitutionibus derogant.

Diximus duos Carolum Magnum et Ludovicum nonum rreges christianissimos ecclesiasticas leges tulisse illis legibus ecclesiam rexisse Galliae antistites. Non autem diximus rregem (qui nunc maior est) novas leges ecclesiasticas velle statuere hoc enim mandatis nostris non continetur etsi contineretur diceremus ea quae sacris literis jure pontificio et civili continentur et quae de ea re ecclesiastici authores greci et latini longo tempore ante librum decretalium posteritati reliquerunt.

Cum autem diximus episcopos bonorum ecclesiasticorum usuarios veniam deprecamur debebamus enim dicere dispensatores qui multum ab usuarijs deferunt idque cum Paulo qui maluit proprijs manibus sibi victum quaerere aut si venia nobis non conceditur qui hoc dictum nostrum gravius et durius dictum existimant quaerantur cum Jeronimo et Augustino (*2*) alijsque antiquis patribus qui dixerunt non solum bona ecclesiae esse pauperum sed etiam clericos instar servorum omnia acquirere ecclesiae et non consanguineum. *Quid* autem non erubuerint dicere et scribere nos dixisse liberrimam esse rregibus potestatem aut ut illi loquuntur ad beneplacitum in bonis ecclesiae fateantur suam ipsorum inscitiam aut surditatem oportet hoc enim si dixissemus esset contra rregis christianissimi voluntatem. Diximus quod iterum et brevius dicimus omnia esse principis instante et urgente necessitate quique latine loquuntur norunt earum dictionum vim et propriam significationem eoque tempore non posse locum esse inquisitioni aut summi pontificis auctoritati. Ea autem propterea diximus quod nunquam rreges nostri bonis ecclesiasticis aliter uti velint sine ullo veteris ecclesiae catholicae exemplo diximus rregis eo pacto anathematizari quo in illis articulis scriptum est nemo enim unquam nisi monitus excommunicari debet nec nisi saltem vocatus comdemnari. Non igitur rregem christianissimum nisi prius monitum excommunicari oportuit nec maiorum suorum jure et auctoritate privari nisi saltem vocatum. Quod autem de Michaelle Archangelo atullimus non aliter intelligimus quam ipse Judas qui ea scripsit. Principes enim et magistratus licet possint et debeant exemplo Nathan reprehendi non tamen sunt maledictis et convicijs provocandi.

Cum diximus principes facile laturos reformationem si ea in tempore

fieret aut (ut Paulus inquit) civili modo quae tamen praetermissa sunt ab eo qui orationem transcripssit fatemur continuo dixisse non Paulus vester sed noster significantes non (2 v.) Paulum apostolum qui vere vester est assiduam enim in illius epistolis operam datis aut dare debetis sed nostrum Paulum jurisconsultum jurisconsulti enim summus non theologi et qui aliter intellexerint facile concedant se neque in jure civili umquam versatas Selsi enim et Pauli aliorumque jurisconsultorum est ea locutio civili modo neque multum in divi Pauli epistolis aut alijs libris sacris in quibus ea locutio nunquam reperietur. *Qui* vero male surdi affirmant nos cum Ezechiae rregis exemplum aferremus dixisse non veros episcopos eos qui proximis ante nos temporibus fuerunt id comminiscuntur neque enim ignoramus super cathedram Moisi sedisse Phariseos et pontifices hoc enim tantum diximus superioris nostri temporis pontifices pios et doctos miserrima ea tempora non vidisse quae nos vidimus nunc quae tamen et multo graviora vidit Augustinus Chrisostomus et sui temporis episcopi catholici quorum exemplum est hodie nobis proponendum ijs qui pristinam libertatem curant restituere. *Cum* rregiam potestatem a Deo esse diximus id simpliciter et quomodo Daniel et Paulus scripserunt diximus neque tunc distinctio mediate vel immediate venit in mentem quam nos si venisset alijs verbis et loquendi ratione clare et aperte expressissemus vel ea constitutio Bonifacij viij quae incipit (unam) Galli enim sumus qui cum unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam ejusque omnia dogmata concedamus dedicerimus etiam et nostris et vestris historijs actisque legitimis nostri parlamenti causam et originem illius constitutionis Bonifacianae. Saepius vidimus acta Concilij Lateranensis Constanciensis et sequentium conciliorum quae obijciunt nobis ij qui orationem meam non intellexerunt ac potius (3) fingunt non intellexisse nec enim adeo obscura neque illi adeo imperiti ut non facile ab omnibus possit intelligi.

*At* quamvis ea verba orationis quibus dicitur rreges in dicta causa excommunicari et anathematizari sine ullo veteris et catholicae ecclesiae exemplo per se respondeat non solum Constanciensi Concilio sed etiam Lateranensi et sequentibus synodis (quid enim verba veteris ecclesiae significant) satis ostendo in peroratione in qua cum vos revocem ad Augustinum et sui temporis episcopos ejusdem etiam temporis concilia et ecclesiam significat non ut propterea inprobem sequentia concilia sed quod magis illorum quam posteriorum exemplo nostris calamitatibus succurri posse videatur. Ne tamen videar semper majorum autoritate (adeo invidiosa plerisque) dicam bona eorum venia et vestra Constantiensse Concilium et alia recentiora nihil ad rem nostram omnino facere nos enim quaerimus quod rregi christianissimo in dicta causa jura et privilegia adimatis quibus resi sunt post octingentos (consentientibus pontificibus) annos et multo amplius seque quod illis viribus amplius more majorum uti velint excommunicatis et anathematizatis. Hoc inquam est quod nos diximus et nunc dicimus esse sine ullo exemplo (etiam recentio-

rum conciliorum) quibus excomunicantur optimo jure principes christiani qui pro libidine (§ v.) abutuntur rebus et personis ecclesiasticis imo magis excomunicati dicuntur qui enim haec faciunt ipso jure excomunicati sunt. Non autem excomunicantur qui suo antiquissimo jure utuntur. Nec fuit eo tempore excommunicatus rex christianissimus propterea quod indicaret possessoria causarum beneficalium aut non promittere omnes causas ecclesiasticas imo majorum suorum exemplo prohibere extra Galliae regnum judicari aut appellatione ab abusu impedire abusiva rescripta neque hoc dicitur infringere libertatem ecclesiae imo haec omnia vocantur apud nos libertates ecclesiae gallicanae et multo minus cum impediunt armatas preventiones mandata regressus quae omnia fuerunt semper pestes pestilentissimae in ecclesiam et aliaquorum in nostra oratione mentio fit quibus nisi nunc haec sanctissima synodus prospexerit actum est de rebus nostris.

(A. E.)